

DISSERTATIO ACADEMICA  
POSTERIOR,  
<sup>DE</sup>  
PISCE JONÆ  
DEGLUTITORE,

<sup>Quam</sup>  
SUPREMI NUMINIS AUSPICIO,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO ATQ; EXCELSISSIMO PRINCIPE ET DOMINO,*  
DOMINO

FRIIDERICO WILHELMO,  
REGNI PRUSSIÆ & ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDE &c. &c. &c.

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS INDULTU,  
IN ACADEMIA PRUSSIÆ REGIA,

*placido Eruditorum Examini s̄istit*

M. JOHANNES Engelbrecht  
Regiom. Pruss.

RESPONDENTE

JACOBO Jordahn/ Phil. Stud.

Liebst. Pruss.

v. J.

*in Jonam.*

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM. 56.  
ANNO MDCCII. die 29. Nov.

REGIOMONTI, Typis GEORGIANIS.

Exeg.

B.

780, 8

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO  
DN. FABIANO à Ruhnheim/  
S. R. M. in Pruss. Capitaneatus Morungensis & Liebstadiensis  
VICARIO longè meritissimo. &c. &c.  
Hæreditario Domino in Stollen/ Gislwald/ Clojenen/ Gnieddorff &c. &c.  
Patrono ac Mæcenati suo astutissimo.

\* \* \*

HONORATISSIMÆ FRATRUM BIGÆ,  
*Nobilissimis, Amplissimis, magnòq; rerum usu Famigeratissimis Dominis*  
DOMINO ANDREÆ Lielenthal/  
Hæreditario in Worritten/&c.&c.

DOMINO MICHAELI Lielenthal,

S. R. M. in Pruss. Camerae Assessori dignissimo,  
Hæreditario in Klein- und Groß-Prächsten/ Blumen/ Pithenen &c. &c.  
Promotoribus ac Benefactoribus suis singulariter colendis.

NEC NON

VIRIS

*Nobilissimis, Spectatissimis atq; Eruditis*

DN. JOHANNI Weiß/ Consuli Liebstadiensi meritissimo.

DN. TOBIÆ Höpfner/ Proconsuli dignissimo.

DN. MARTINO Gniffke/ ,

DN. JOHANNI Schäzel/ } Senatoribus & Secretario ejusd.

DN. RUDOLPHO MAJOR/ } Urbis laudatissimis.

DN. PAULO Bredenberg/ }

*Fautoribus suis omni observantiae Cultu venerandis*

Primitias hasce Academicas, cum omnigenæ prosperitatis  
votō, in sempiternæ submissionis notam inq; stu-  
diorum suorum ulteriore promotionem

*offert*

JACOBUS Gordahn. Resp.



Ationes, ob quas Balænæ deglutitionem Jonæ denegamus, exposituri, necessariò aliqualem piscis hujus descriptionem præmittimus, ut indole ac naturâ ejus delibatâ, eò accuratiùs cognoscere liceat, quid marinæ huic beluæ deficit, quò minus ad deglutiendum Prophetam apta videatur. Græcis piscis hic dicitur Φάλανα, juxta Isidor. lib. XII. c. 6. à βάλλειν, ab emittendo & fundendo aquas, quia balænæ cæteris bestiis maris altius jaciunt undas; unde Plinius lib. IX. Hist. Natural. c. 6. ait: *Ora Balænæ habent in fronte, ideoq; summa aqua natantes in sublime nimbos efflant.* Nonnulli, quamvis vix satis benè, hunc piscem à pilis, in capite quasi splendentibus, sic vocari putant, cùm φαλὸς quod à φάλῳ derivant, splendidum & album significet. Joh. Jonstonus lib. V. de pisc. & Cetis p. 215. præter allatas vocis Balænæ derivationes, tertiam affert: *Balæna*, inquit, Græcis Φάλανα dicitur vel ὠφέλη τὸν βάλλειν i. e. emittere, quod maris aquas per fistulas emitat, vel à φάλῳ, quò vocabulo Græci meatum in galeis militaribus, cui plumas inferebant, indigitant, vel à Chaldeo בָּלֵעַ quod idem est ac devorare. Santones beluarum pescatores Balænam, notante Gvielm. Rondeletio Medicinæ in Schola Monspeliensi Profess. Regio, lib. XVI. de piscibus marinis pag. 482. *Gibbar* vocant, à gibbero dorso, i. e. in tumorem elevato, in quo est pinna. Ulysses Aldrovandus lib. I. de Cetis pag. 263. dicit: hanc beluam Anglis *Hore* appellari, & aliò nomine *Horlepoole* & *Wirlepoole*, eò, quod impetu suò & flatu verticosas in mari, tanquam palude, procellas excitet. Italis vulgò *Ballena* aut *Vallena*. Hispanis *Valléna*. Illyric. *Uvetryb.* Germanis plerisq; dicitur *Wallfisch*, cuius nominis originem fusè evolvit Matthias Martinius in Lexic. suo Philolog. p. 108. Bellonius & ex eo Aldrovandus loc. cit. p. 262. Balænæ natu-

ram

ram ita depingit: *Balaenā maxime molis est piscis, viviparus, rostratus, pulmone præditus: branchiarum loco prægrandem fistulam in fronte gerens, bāud exertam tamen, ut vulgo depingi solet, per quam humorem, quem ore excepere at, magnō impetu effundit ac rejicit, ut eō vel onerarias interdum naves submergere dicatur.* Pinnas habet utring unam ac quā temoris vice buc atq; illuc corpus inflectit. Coriō glabro ac spissō integitur, nigro, duro, firmo, ac solido, squamis ac villis carente, cui pinguedo nonnunquam pedis altitudine subest. - - Quid etiam *Balaenae lingua multarum est librarum pondo; reliquas ejus piscis carnes, etiam bubularum instar salitas, audio vel numerosum exercitum integrum diem alere posse.*

§. XIV. Hæc cum insignem Balænarum magnitudinem evincant, & ejusmodi corporis vastitatem ipsis tribuant, ut hospitium satis amplum integro homini præbere videantur, quamplurimas Lamiæ Propugnatores causas colligunt, quas contrarium defendantibus, veluti vehementissima impedimenta, opponunt. Initio mare illud, in cuius abyssum nautæ Jonam precipitem dederunt, Balænarum sedem non esse, imò nunquam bujus generis piscem in eō inventum existimant. Qvale mare illud fuerit, ex ipsius Jonæ historia patet: cum enim Propheta citissimè è manibus Dei elabi anxius properaret, descendit in Joppen portum ab Jerosolyma, celebratissima Judæorum Metropoli, juxta Francisc. Mæsal. tribus Leucis, vel, ut Riberæ placet decem, distantem. Hæc Joppe, quæ Hæbreis יפו dicitur, hodiè autem mutatō aliquantulum nomine Jaffa, vel etiam nautis Zapphum audit, urbs erat antiquissima, sita in tribu Dan, ad littus maris mediterranei, in edito promontorio, habens portum impetuofissimum, obq; id ad excursus piraticos maximè commodum. Vid. Hieronymus lib. I. de Locis Hebraicis Tom. IV. fol. 130. & Comment. in Jonæ cap. I. Tom. VI. fol. 54. Adrichomius in descriptione terræ sanctæ. Julius Solinus Polyhist. cap. 47. pag. 250. Mare hoc mediter-

terraneum Balænas nullô tempore aluisse cum Jonstono loc. cit.  
p. 114. ex Recentioribus Dn. Paulini, Medic. Isenacens. in  
Curiositat. suis part. 2. p. 79. & Matthæus Ruhnbrandt in  
Hist. Miscell. p. 178. autumant, & ne sine rationis pondere illud  
dixisse videantur, *mare mediterraneum adeò angustum esse volunt,*  
*ut Balænarum frequentiam admittere non possit.* At veniam dabunt  
Viri illi celeberrimi, quod hisce armis Balænæ Patronos debel-  
lare recusemus. Multi enim sentiunt, Jonam non in mediter-  
raneo, sed alio & à Joppe remotiori mari à pisce deglutitum,  
propterea, quod ex porrectis velis, & felicissimô ventô navis,  
quâ vates fugitivus vehebatur, è portu modò nominato fue-  
rit soluta; & quanquam ex eô, quod nautæ remigâsse dicun-  
tur, ut ad aridam reverterentur, quispiam forte colligeret,  
eos redditum in eundem portum intendisse, sicq; obortâ tempe-  
state nondum procul ab eodem abfuisse, infirmo tamen hæc  
conjectura nititur fundamento, cum eâdem etiam facilitate in  
alio mari, ad littus & portum aliquem appellere nautas voluisse  
dici possit, ut sine dispendio ipsius Prophetæ salvæ & incolumes  
fierent. Deinde si angustia maris mediterranei vastitatem Ba-  
lænarum non capit, quomodo Lamias, quæ ejusdem cum Ba-  
lænis molis esse constat, in eodem copiosè reperiri sine rubore  
quis affirmaret? in primis cum in multò minoribus maribus  
aliquando Cete & in specie Balænæ appareant. Aldrovandus lib. I. de Qvadrupedibus pag. 193. ex Paulo Diacono re-  
fert: tempore Gregorii Papæ per Tyberim, qui cuncta inundabat, Balænam immensæ molis per totam urbem trepidante po-  
pulô enatâsse, tandemq; extinetam spectaculo omnibus fuisse,  
cujus hodièq; costa, in Ecclesia B. Virginis, cuivis summæ est  
admiratiōni, longa pedes decem, crassa quantum longitudo  
reqvirit. In Scaldi fluvio (narrante eodem Aldrov. lib. I de  
Cetis p. 263.) decem ab Antverpia milliaribus ao. 1577. die  
2. Julii capta est immanis & horrenda prorsus Balæna: color

A. 3

eius

ejus erat ex cœruleo nigricante: fistulam in vertice habebat; quâ aquam eruſtabat magnâ vi: longitudo ejus erat pedum octo & quinquaginta, altitudo autem ſexdecim: cauda quatuordecim pedes lata ab oculo ad extreum roſtrum intervallo ſexdecim pedum. Maxilla inferior ſenūm in ſingulis lateribus pedum erat, viginti quinque dentibus armata, qui totidem foraminibus in ſuperiore, dentibus omnino carente, excavatis, recondi poterant. Rectiſſime tamen Aldrov. ſæpe laudatus notat, pifcem hunc in omnibus cum Balænis non convenire, ſed ex parte monſtroſum eſſe, præterquam enim quod Balænae dentibus carent, naturæ etiam conſonum eſt, ut, cum dentes ſubſunt in ore inferiori, eorum ordini ſuperior ex oppofito, ad conterendos intercurrentes cibos reſpondeat. D. Joh. Fried. Mayerus itidem in Conc. ſuper cap. I. Jonæ habit. p. 544. refert, in Albi fluvio, prope Hamburgum, Balænas duas ao. 1659. d. 23. Aug. ſatis grandes viſas. Atq; ſic manifestum eſt mare mediterraneum, licet aliis ſit anguſtius, nihilominus Balænas capere poſſe; ſi etenim flumina hæc belua intrat, quidni & mare mediterraneum, eam recipere? Inveniri autem re ipsâ hoc in mari Balænas & ſæpè eadē ab accolis captas eſſe, cum omnes, quotquot Balænae patrocinium fuſcipiunt, prolixe probent, nudō nos faltem affensu confirmamus.

§. XV. Alii pifcem Jonæ deglutitorem Balænam non fuiffe exinde probare contendunt, quod pifcis hic *in totum à carnibus abſtineat*, quas, cum natura dentes ipſi denegārit, communī ab eo non poſſe existimant. Quis interim Balænae genuinus ſit cibus, non ſatis inter ſe conveṇiunt. Rondeletius lib. IV. de pifcibus & Cetis pag. 83. dicit: Balænam ſpumā maris ſatiari; Libro autem XVI. p. 476. & 485. addit: in hujus beluae ventriculo præter ſpumam & aquam, algam etiam fætidam inveniri, ſine ullis pifciū fruſtiſ: ut inde appareat carnivoram non eſſe; quam ultimam ſententiam Dn. Paulini loc. cit. amplectitur.

plectitur. Salinas, Matthiolus, Avicenna statuunt Balænam  
ambrā delectari. Quidam mitiores sunt & Balænam à vivis  
quidem carnibus abhorrere, mortuis autem cadaveribus non-  
nunquam vesci volunt. Verum & hi à veritatis tramite  
quam maximè aberrant. Quotidiana enim experientia te-  
statur, in dissectis Balænarum ventriculis, multos sæpè pisces  
& inter eos quosdam vivos esse repertos. Adduximus jam  
hanc in rem Gesneri testimonium ex Lib. X. Hist. pisc. c. 7.  
p. 1271. §. ult. dissert. nostr. prior. Unde brevitati studen-  
tes alios, qui idem affirmant, negligimus, hoc obiter saltem  
notantes, quod plurimi Balænarum Patroni malè Jonstoni &  
Diodori Siculi verbis evincere laborent, Balænam esse animal  
*ἀνθρωποφάγον*. Priori enim loco nominatus, lib. V. de piscibus  
& Cetis c. 2. p. 215. dicit: *Balænam in furorem actam, nec homini-  
bus nec equalibus suis parcere.* Diodorus autem Siculus lib. IV.  
Hist. c. 2. (al. 3.) ait: *Cete non esse infesta homini, nisi quis incidat in  
eorum cristas.* Ex his sancè nūl aliud infertur, quam Balænas, quo-  
ties irritantur, omne, quicquid obvium habent, perdere, nō autē  
deglutire; alias enim Balæna, juxta Jonston. sui etiam generis  
beluas per fauces in ventrem transmitteret, quod tamen fidem  
nullam meretur. Ob dentium autem defectum Balæna ut car-  
nibus abstineat, opus non est, *horum enim loco*, inquit Ronde-  
letius, quem Aldrovandus lib. I. de Cetis c. 2. p. 263. allegat,  
*in utraq, maxilla cornea sunt laminae nigrae, sensim in pilos suillis simi-  
les, desinentes, que in anteriore & posteriore sive interiore oris parte  
breviores sunt, in media longiores, quibus caro commodè dilace-  
rari potest.* Vid. Scalig. lib. de subtilitate ad Cardanum exer-  
cit. 104. p. 390.

§. XVI. Castrus è Societate Jesu Theologus, Ronde-  
letium lib. XIII. de piscibus c. 12. secutus, lib. V. Comment.  
in Jonæ c. 2. p. 296. *Balænis ventriculos adeò angustos esse existi-  
mat, ut hominem integrum suo ambitu complecti non possint,* idq; ex  
disse-

dissectione harum beluarum constare dicit. Quam opinionem cum aliis Neotericis Dn. Paulini loc. cit. acriter defendit, atq; ex eō fundamentō Jonam in Balænæ ventriculo, tanquam arctissimo carcere, vivere non potuisse infert. Sed nec hī nobis placent. Licet enim Balænis recens natis exigua sit ventriculi cavitas, satis tamen amplum habent, cūm ad justam magnitudinem accreverint, prout hoc testatur Jonstonus lib. V. de piscibus & Cetis c. 1. p. 273. Præterea satis mirari non possumus, Matth. Kühnbrandum in Hist. Miscell. p. 180. ventriculum Balænæ adeò coarctare, ut ne infantem quidem capere existimet, cūm tamen pag. statim seqventi velut ocularis testis narret, aliquando Balænam mortuam in littus ejetam, in cuius ventre tot pisces reperti, ut carinam totam impleverint. Eādem ferè ratione Dn. Paulini loc. cit. sibimet ipsi turpiter contradicit: eum quippe Balænæ ventriculum, quem ad hominem recipiendum ineptum esse volebat, tres & plures sæpè corbes graminis occultasse fatetur, quale vix spatiū corpus hominis, licet obesi, reqvirit.

§, XVII. Infirmis hisce & maximam partem falsis rationibus explosis veram dissensūs nostri à Balænæ defensoribus causam tandem subjungimus, eamq; solam tanti momenti esse credimus, ut, quicquid etiam Adversarii obganniant, nostra de Lamia sententia nihilominus maneat immota prorsus atq; invicta. *Gulam* nempe & *Oesophagum* in Balænis arctiorem esse ducimus, quām ut Prophet a per ejus meatum in ventrem hujus piscis delabi potuerit. Omnes, non ex veteribus solūm, sed & recentissimis, quibus Balænas videre licuit, dummodo partium studio non teneantur, unanimi consensu faucium beluæ hujus pressissimas angustias admirantur. Vincentius Beluacensis, Ordinis Prædicatorum Frater, in Speculo suo Doctrinali lib. XVI. c. 128. confidenter dicit: *Cetus*, quō nomine ipsi Balæna h. l. venit, babet oris meatus strictos, unde non nisi parvos pisciculos deglutit

deglutit, quos odoriferò anhelitu suo attrahens ad se ac devorans in ventrem suum mittit. Habet etiam in gutture quandam pellem, membra similem, que multis meatibus perforata non sinit quidpiam magni ingredi in ventrem. Jul. Cæs. Scaliger lib. cit. Exercitat. 104. p. 390. sub finem ait: *Balænis molem vorare grandiorem non licet propter gulæ angustias, aditus enim vix semipedem patet.* Nec est quod nonnulli dicant: Scaligero de parva & juniore Balænâ sermonem esse, agit enim ibidem de Balænis in genere, & omnibus promiscue fauces arctas esse asserit, non sine causa addens: se non vulgaria & incerta sed comperta explicare. Rondeletius loc. cit. & cum eo Castrus loc. cit. Scaligero subscribunt, per Gulam Balænæ hominem transfire posse itidem negantes. Calovius evi- dem cum aliis Castrum de parvis & communibus Balænis loqui putat: *Quanquam*, ait Comment. in c. 2. Jonæ p. 824. *Christophorus à Castro Balænam arctiori gutture ac ventriculo esse dicat, id tamen de parvis & communibus Balænis intelligendum.* Nam majores sunt instar montium, que facile homines & boves integros glutiunt. *Qvales refert ipse Castrus plures* ē Plinio, Strabone, Diodoro Siculo & aliis. At falsam Castro affingunt mentem; allegantur ab eo loc. cit. pag. 295. & 296. ad demonstrandam pisci- um magnitudinem Strabo lib. XV. p. 689. lib. XVI. p. 227. lib. XVII. p. 720. Plinius lib. V. Hist. Nat. c. 13. lib. IX. c. 3. & 5. Solinus Polyhist. c. 37. Diodorus Siculus Lib. IV. c. 2. Ælianus Lib. XVI. c. 12. eorumque testimonia propterea ad- ducta esse dicit, ne difficile cuiquam creditu videatur, hominem con- tineri potuisse in ventre belluae: & quamvis multa alia mirabilia in Jo- na conservando contigerint, hoc tamen non adeò mirabile esse, propter barum beluarum magnitudinem. Num verò hæc de Balænis in- telligenda velit, valdè dubito, cum omnes illi Autores de Cetis generatim loquantur & Lojolita immediate suam de Balænæ non gulæ tantum, sed & ventriculi angustia sententiam anne- stat. Deinde si vel maximè Castrus sibimet ipsi contradiceret,

B

ven-

ventriculi tamē amplitudinem solum in Balænis concederet, gulae enim & Oesophagi mentionem in verbis allatis nullam facit. Non desunt plures, & quidem ex parte oculati, sicq; fide dignissimi testes. Jonstonus lib. V. de piscib. & Cetis, multos dari notat, qui Balænas pisces integros deglutire statuunt, eosq; minutos, quod interna gutturis membrana nil magnum ingredi sinat. Dn. Paulini loc. cit. Balænam se vidisse scribit, cuius gula vix brachium unius viri admiserit. Joh. Heinr. Majus in Hist. animal. in Sacro cum primis Codice memoratorum lib. I. c. 5. de aquatilibus universè spectatis p. 108. sub fin. experientiâ constare dicit, *Balænas tām angustos gulæ meatus habere, ut deglutire hominem minimè queant.* Bochartus, quem propterea ultimō nominamus locō, quod sententiam suam de parvo Balænarum Oesophago argumentō haud contemnendō probet, part. II. Hierozoic. lib. V. c. 12. p. 742. & 743. hunc in modum scribit: *Balæna vel Pristis vel Physeter utut vastæ beluae, tamen gulæ meatus habent ita angustos, ut solidum hominem deglutire haudquam possint. --- nempe quotquot animalia pulmone spirant, iis gulæ meatus coarctari necesse est, quomodo collum in follicibus, ut ex his angustiis spiritus per fauces majore nisu erumpat. Absit igitur, ut putemus per tam arctos meatus solidum hominem unā cum ueste potuisse transglutiri.* Conf. hūc Polus in Synops. Bibl. Critic. ad c. II. Jonæ.

§. XVIII. Cumulatis hisce probatissimorum Autorum testimoniis, auctoritatib; & rationibus confirmatis, adversarii non sine impudentiæ notâ reclamare, gutturisq; in Balænis amplitudinem plenis buccis deprædicare audent. Corradunt hunc in finem, quicquid de horrenda Cetorum magnitudine & vastitate belluarum marinorum legunt, quod tamen labore totō supersedere possent, cùm nemo unquam Balænam, ut pote primariam Ceti speciem magnitudine corporis reliquos Cetos omnes superare negaverit; de gula interim in omnibus, quotquot ab iis narrantur, historiis, altum est silentium.

Jon-

Jonstono eqvidem multas habent grates, quod Balænam aliquando visam referat, quæ quadraginta asellos devoraverat, quod ipsum manifestissimum vastitatis gulæ indicium esse existimant. Sed præterquam quod Jonstonus hunc piscem non *Balænam*, sed *Cetum* generaliori vocabulô nominet, homo etiam magnitudinem aselli unius, quem tenui hamô ex Franzii Hist. animal. p. 635. capi constat, longè excedit; neq; enim nobis obtrudi patimur, quod piscis hic omnes asellos, aut ad minimum multos, unô bolô deglutiverit. Nimis autem audaces sunt illi, qui piscem mularem, cuius Nierembergius Hist. Natural. p. 265. meminit, quemq; §. VIII. Dissert. nost. prior. ob rictum & scissuram oris admodum extensam Lamiam fuisse diximus, Balænis eam ob causam annumerant, quod *furens & horribilibus frendens mugitibus Valentiam appulerit*, qualem clamorem Lamiam ob pulmonum defectum edere non posse arbitrantur, cùm è contrario de Balænis Rondeletius lib. XVI. de piscibus p. 482. sub. fin. expressè afferat: *eas in mari Indico cum se supra modum ingurgitarint, clamare vel mugire, tam magnò & contentò sonò, ut qui binis Gallicis milliaribus absunt, exaudire possint.* Licet enim vox utiq; sine respiratione esse non possit, cùm eadem instrumenta formationi vocis & respirationi inserviant, sicq; quibus pulmo deest, iis nulla vocis emitendæ sit facultas, juxta Aristot. lib. IV. de Hist. animal. c. 9. Sonus tamen & stridor qualiscunq; etiam ab iis animalibus, quæ pulmonibus destituuntur, excitari potest. Ita cicadæ, & id genus insecta alia, quia non respirant, sed per *διαπνοήν* saltem refrigerantur, non vocem, sed murmur & sc̄num edunt, *qui fit* (utimur verbis B. Zeidleri ex Dissert. de Respiratione piscium c. 2. §. 3. quæ ipse ex Aristot. loc. citat. hausit.) *per appulsum interni Spiritus ad tenuem membranam, quæ loco diaphragmatis aut sub diaphragmate est volatilibus nonnullis ex insectorum genere, non absimili modo, quò pueri oris flatu tenuissimam arundinis membranam*

*mam tentantes sonum efficiunt. Par ratione pisces universos mu-*  
*tos esse & voce planè carere, omnes rerum naturalium periti,*  
*exceptis paucis quibusdam recentioribus, credunt. Stridorem*  
*etenim, quem edere pisces animadvertis, pro voce non ha-*  
*bent, cùm attritu tantum branchiarum vel ventris compressi-*  
*one fiat, unde Aristot. loc. cit. ait: Pisces vocis quidem expertes*  
*sunt: - - sonos autem quosdam stridores q̄, movent, qui vocales esse e-*  
*xistimantur. Nihil igitur impedit, quo minus & iste pisces, de*  
*quo nobis est controversia, sine pulmone vehementissimō sono*  
*terribilis esse potuerit, imprimis cum inquieti maris fluctus,*  
*quos ejusmodi beluæ magnō impetu secant, non parum stre-*  
*pitum atq̄ murmur augeant.*

§. XIX. *Monstrosum porrò fore putant, tām immanem*  
*& ingentem beluam habere gulam moli suæ neutiquam proportiona-*  
*lēam, immò solum Balænæ nomen, terribile admodum ad demonstran-*  
*dam gulæ ejus amplitudinem sufficere sibi persuadent; deducunt e-*  
*nim nomen Balænæ cum Jonstono à בָּלֶן deglutivit, devoravit,*  
*hancq̄ derivationis causam addunt, quod pisces hic cum sit*  
*insignis & extraordinariæ magnitudinis, maxima etiam &*  
*prægrandia ciborum frusta appetat. Utrumq̄ iterum nihil*  
*nobis derogat. Primum quod attinet, notum est, nullum fe-*  
*re animal prægrande membra omnia corporis sui moli pro-*  
*portionata habere: sic Elephas, quadrupedum maximus, teste*  
*Arist. lib. II. de Hist. animal. c. 6. lingvam perquam exiguum*  
*habet, atq̄ interius positam, ita, ut vix videri possit, quod ex*  
*Æliano quoq̄ affirmat Gesnerus Lib. I. de Quadruped. p. 413.*  
*quin hominem ipsum parvo admodum ore naturam donâsse*  
*observat Aristot. loc. cit. c. 7. Si autem quis hominem pro-*  
*perea monstrum diceret, ipse quôvis monstrô portentosior*  
*foret. Argumentum, quod posteriori locô urgent, quia ab*  
*Etymologia est petitum, non stringit. Quamvis enim Ari-*  
*stoteles lib. 2. Top. c. 6. §. 2. translatô nomine ad notationem*  
*argu-*

argumentari nos posse doceat, ut exinde in omnium ferè ore  
hic Locus sonet: *Cui competit etymon vocis, ei vox ipsa tribui potest;*  
facillimè tamen his occurritur. Nam locus nominatus est  
solum probabilis & Dialecticus, non autem universaliter ve-  
rus, quemadmodum infinitis instantiis ostendi potest. Sic En-  
thymeina juxta Philopon. Lib. I. post. 1. dicitur ἀπὸ τοῦ κατα-  
λαμβάνειν τῷ νῷ ἐντιμένθα, τὴν μίαν πρότασιν h.e. ab eo, quod  
relinquat menti propositionem unam excogitandam; cum tamē  
acutissimi Philosophi Enthymema perfectum Syllogismum es-  
se & non nisi ex duabus præmissis conclusionem inferre, diu  
jam solidè demonstrârint. Vox ὄλιγαρχίας si Etymologiam  
species, principatum paucorum denotat, descendit enim ab  
ολίγῳ paucus & αρχῇ principium; at juxta usum aliam longè  
obtinet significationem & dominatum divitum designat, sive  
pauci ii sint, sive plures, docente Aristot. lib. III. Polit. c. 8.

§. XX. Nonnulli multa harum objectionum videntes  
incommoda, concedunt arctas admodum esse Balænarum fauces,  
multis interim modis earum angustias dilatare conantur. Dicunt nem-  
pe: gulam Balænae in respirationis quidem actu coarctari, in ipsa vero  
deglutitione, licet alias vix semipedem pateat, adeò extendi posse, ut  
homo, imò multò majora pondera latissimum per ejus meatus transitum  
inveniant. Quam insignem Oesophagi dilatationem, ut eò fe-  
licitis demonstrent, ad Jonstonum provocant, qui lib. III. de  
piscib. & Cetis c. 5. Lucium quendam se vidisse affirmat, piscem  
alium insigniter grandem ventre continentem, in quo itidem  
mus aquaticus repertus. Gesnerus scribit: Cracoviensem  
quendam Polonum sibi narrasse anseris pullos duos in ventre  
Lucii à se visos, apud suos etiam fulicam in ventriculo Lucii  
repertam esse. Imò, piscis hujus non admodum magni fauces  
tām vehementer extendi posse, ex Franzii Hist. animal. p. 649.  
probant, ut feles parvos & canes in vivaria conjectos deglu-  
tiat. Argumentantur proinde à minori ad majus & eam gulæ  
expan-

expansionem, quam in Lucio pisce exiguo, animadverti credunt, Balænæ, beluæ omnium Cetaceorum maximæ, denegari non posse arbitrantur. Imprimis autem inde non leve suæ de gulæ extensione sententiæ robur pollicentur, quod embryo uterum matris relicturus, per eas corporis partes extum inveniat, quæ, quamvis ante partum non leviter constringantur, egressuro tamen fœtui omnes cedunt, & viam satis patentem præbent. Ad hæc ut distinctè respondeamus, largimur, in omnibus, quotquot respirant, animantibus, gulam non instar arundinis aut canalis cujusdam esse, sed prout eorum magnitudo est, quæ in ventrem mittuntur, Oesophagum modò dilatari, modò iterum constringi; verùm extensionem hanc exiguum saltem esse, nec gulæ cavitatem unquam ita excedere dicimus, ut quæ vel duplo tantum eâdem majora sunt, comodè transire possint; unde, licet Balænæ gula in actu deglutitionis utiq; aliquantulum expandatur, propterea tamen, quia sibi relicta semipedem saltem patet, aut viri etiam brachium ægrè capit, naturaliter adeò ampliari non potest, ut integrum hominem & quidem *vestitum* admittat. Non autem sine causa *vestis* mentionem injicimus: multi quippe Balænarum Patroni, qui Balænæ fauces adeò extendi non potuisse agnoscunt, ut Jonas cum vestibus reciperetur, nudum eum & omnibus vestibus spoliatum à nautis mari traditum esse suspicantur: quâ in parte cum iis facit Mich. Palatios Comment. in c. I. Jonæ sub fin: *nudaverunt, inquit, Jonam mittendum in mare. Nudant Dominum affigendum cruci.* Verùm satis multa sunt, quæ pro vestitu Prophetæ decertant. Qvia enim nautæ non modò documentum submersionis, sed etiam modum procul dubio ab eô acceperunt, verosimile non est, Jonam se nudum omnium oculis exponi voluisse, præsertim, quia postea ad littus à belua ejectus, ubi nulla foret copia vestium, impedimentum non leve habuisset ex decore & honestate, quo minus in Niniven prope-

properaret, quibus rationibus alias insuper ex Joh. Treminio addit Salinas Tom. I. Exposit. lit. in Jonæ c. I. qvæst. 84. p. 266. & 267. Qvarvis curiosè magis, quàm utiliter hæc de Jonæ veste qvæstio agitetur, ut verum sit hâc de controversiâ Augustini epist. 49. ad Deo gratias qvæst. 6. p. 208. judicium: *Scriptura nego, nudum, nego, vestitum (Jonam) in illud antrum dejetum esse dicit: ut possit intelligi illuc etiam nudus irruisse, si forte opus erat, tanquam ovo corium, ita illi vestem detrahi, quò faciliùs sorbereatur.* Sic enim sunt homines de Prophetæ bujus veste solliciti, quasi aut per fenestram pardam rep̄sisse, aut in balneas intrasse dicatur; quò etiam, si necesse esset, intrare vestitum vix molestum eſset, non tamen mirum. Exempla Lucii quod attinet, ea huc planè non quadrant, cum de expansione gulæ eorum solum animalium nobis sermo sit, quæ pulmonibus prædita sunt & ob respirationem non nisi arctos gulæ aditus habere possunt, ex quorum ordine Lucium esse non concedimus, cui quippe tantum gulæ hiatum non ex dilatatione, sed per naturam jam contingere, vulgo etiam notum est. Aldrovandus lib. V. de piscib. p. 245. Albertum scripsisse observat: *Lucium ventriculum ita gutturi continuatum habere, ut aliquando eum rejiciat aviditate glutiendi piscem & permultas ejus esse appendices, in quibus chylus confectus servatur, ne ob gulæ laxitatem facile rejiciatur.* Simile tandem ab embryone desumptum prorsus dissimile est: ne enim de summo vitæ periculo, quod parturientes ob violentam partium genitalium rupturam plerumque comitatur, dicam, quale quid in deglutitionis actu non metuendum, fœtus etiam motu suo non parum exitum adjuvat, cùm è contrariô homo à belua horrenda apprehensus, omnibus viribus reluctetur. Merentur hic adscribi verba Andr. Laurentii, quæ à Caspero Posnero, Philosoph. Natural. in Academia Salana Profess. Celeberrimo Tabul. Geneanthropolog. 33. citantur: *Ex uteri latebris exsilire affectans puer principium motionis*

nis aggreditur. Itaq; calcitrando membranas, quibus involvebatur, disrumpit, & validò impetu sese convolutans, viam sibi facit, exitumq; quâ potest contentione, qværitat. Uterus autem distentionem eam graviter ferens, & fætus nimium aucti mole onustus, sarcinam suam depone studens, totis viribus pro eâ, quâ pollet, vi expultrice, ad fætum strenuè excludendum connititur.

§. XXI. Cùm igitur naturalis ratio, ad tantam gulæ bænarum diductionem probandam dari non possit, quidam contradicentium ad Dei omnipotentiam, tanquam ad tutissimum asylum configiunt, faucesq; piscis, quam arctæ & compressæ etiam fuerint, ad Dei nutum satis ampliari potuisse, credunt. Eô potissimum ad vanam ejusmodi superstitionem adducti, quod DEUS pisces ipse preparasse & ad deglutiendum Vatem disposuisse quasi dicatur. Nos, ne in absolutam & nullis limitibus circumscriptam summi Dei potentiam injurii videamur, extraordinariam, quam urgent, gulæ distentionem possibilem DEO fuisse non negamus, & si revera hoc ipsum factum fuisset, tacitô admirationis cultu insigne miraculum veneraremur; at cùm Scriptura sacra illud non exprimat, nobis tale quid sine omni necessitate fingere vix licebit: nam si hoc, sicut August. epist. 49. ad Deogratias qvæst. 6. p. 211. loquitur, quod Jonas in ventre Ceti triduò fuit, fas non est aliter intelligere, quam ab ipso Cœlesti Magistro in Evangelio est revelatum, non minus quoq; verbis, quibus in V. T. codice Jonæ historia est delineata, simplicem sine additione novorum miraculorum, fidem piè adhibendam esse censemus. Ferit sanè hos fulmen, quod judiciosissimus Huartus in Scrutin. Ingenior. p. 94. 98. 101. in omnes eos vibrat, qui, quicquid magnum prodit, DEO statim immediate tribuunt; Posito, inquit, quod pius hic sermo, ac religionem sapiat: nibilominus ab ignorantia oritur, dum, qui sic loquuntur, nibil intelligunt de ordine rerum naturalium ac statu, in quem singulas creationis tempore Deus collocavit. - - Enim verò multoties inquisivi in veram rationem

rationem ac causam, quā fiat, quod nonnulli adeò prouisint in rerum naturalium effectibus Deo transcribendis, ita ut magno naturae prejudicio vim omnem causis secundis admant. Ac licet ignoro, an scopum attigerim: de eō tamen constat, quod proletaria illa hominum factio nesciens distinguere effectus, qui immediate à Deo proficiuntur, ab aliis illis, quos natura producit, necessitate quādam inducta sic loquatur, cum cognitum habeant, quod & omnipotens Deus sit, & ictu oculi, quod vult, possit efficere. -- unde indicium, quod inter cetera estimo in probando homine, qui Philosophia & Physica audienda idoneus non sit, illud est, quum proclivis esse animadvertisse ad fingenda quācunq; ex re miracula: uti contra dubitandum non est de bono illorum ingenio, qui non quiescent, quin particularem cuiusq; effecti causam penitus cognōrint, atq; hi probè habent cognitionem, certos effectus esse, qui immediate solum ad Deum se referant, cuiusmodi miracula sunt, ac certos item alios, qui à natura proveniunt. Præparationem autem piscis, quam Scriptura Deo emphaticè adscribit, quod Ipse (sunt verba Johannis Drusii lect. in Jonæ c. 2. p. 569.) cuius arbitrio hæc omnia gesta sunt, ita castigaverit Prophetam suum, ut tamen non planè destituerit, sed in mediis fluctibus præparaverit piscem magnum, qui illum post triduum terræ redderet salvum & incolumem, inauditam gulæ extensionem non respicere vel inde liquet, quod nemo sacræ Scripturæ Interpretum, vocem τριψιν licet in diversissimas circa explicationem ejus abeant sententias, quas omnes, Salinas Tom. II. Exposit. Liter. in Jon. sedulò annotavit, eō sensu explicaverit. Nobis interim præ cæteris placet Hieronymus, qui Commentar. in Jon. c. II. Tom. VI. fol. 55. Deum piscem ad Jonam excipiendum præparasse dicit, dum subito eum ibi adesse & juxta navem venire fecit. Quam explicationem quoq; approbat Munsterus in Bibl. Elucidat. pag. 1099. præparavit Dominus piscem h. e. ordinatione suâ fecit mox adesse Cetum grandem, qui ejectum deglutiret Prophetam priusquam ab undis suffocaretur.

§. XXII. Sed nondum nobiscum gratiam inire aduersarii volunt existimantes satis esse, quod à Bestia exceptus intra eam fuerit Jonas, licet non in ventre sed saltem in ore, quod Balænis est amplissimum, quieverit; quo effugio plurimos uti testatur Brunsmannus in libro §. 9. dissert. prior. citat. p. 467. Horum objectio primâ fronte nihil videtur habere incommodi, rictus enim balænæ utique tantus est, ut multi simul homines in eo sine molestia latere possint. Cariosa sunt quæ de oris Balænorum vastitate Vincentius loc. citat. tradit: *Balæna*, inquit fætus suos estiunt, cum infirmitantur & invalidi sunt, & si parvi sunt eos in ore recipiunt; hoc idem imminente tempestate faciunt & post tempestates illos comunt, quando propter defectum aquæ fætus impeduntur, ne matrem se-

C

quan-

quantur, mater aquam in ore receptam instar fluvii ad eos rejicit, ut sic inhærentes terræ liberet. Paria refert Aldrovandus lib. I. de Cetis p. 263. qui apud Philostratum lib. 2. de vita Apollonii se legisse addit: quod balæna filios in faucibus abscondant, si quando majorem beluam fugere contigerit. Videri etiam potest Schotti Physica Curiosa lib. XI. c. 10. p. 1298. Verum omni iterum victoriæ spe, quâ sibi Balænæ partibus addicti supra modum blandiuntur, excidunt, cum Prophetæ intra rictum piscis assertatio expressè textui sacro repugnet, utpote qui in Jonæ Scripto vatem בְּנֵי הַרְגָּה fuisse, item מִצְעֵי הַרְגָּה orâsse & Matth. XII. 40. ἐν τῷ κοιλίᾳ τοῦ αἵγατου fuisse, clarè exprimit, ut hâc ratione, vis verborum quâm maximè postulet, per faucium canalē deglutitum & in viscera detrusum esse Jonam.

§. XXIII. Hos illi excipiunt, qui teste Brunsmannō loc. cit. *Jonam non per Gulæ vias sed per fistulas in ventrem piscis descendisse* blaterant, perinde esse putantes, quomodo & quâ viâ ad viscera pervenerit. Unde Cetos dari notant, quibus fistulæ sive nares aut foramina, aquam & spiritum reciprocantia, adeò sunt patentia, ut perfacile admittant hominem. Hujus generis unus fuit, quem Purchasius in Thaneta memorat captum: quippe cuius quælibet fistula ita erat spatiofa, ut in ea repens posset versari homo. Clusius Exoticorum lib. VI. c. 17. Schevelingam Belgii inter Catavictrumq; ait Balænam prehensam, cuius quodlibet foramen tres erat amplum pedes, quam fistularum magnitudinem Vincentius loc. cit. inde probat, quod Balæna fluctus haustos per per eas ita eructet, ut alluvie nimboſā plerumq; classes navigantium deprimat. Nos eâdem responsione, quâ priorem objectionem solvimus, hanc quoque tolli posse arbitramur: nam si daremus Jonam in piscis fistulas delapsum esse, non tamen videmus, quomodo gulæ meatum præterire, & per viam à gulâ distinctam in ventrem mitti potuerit; hos igitur novos & incognitos ad ventriculum ductus, ut nobis adversarii ostendant, expectamus.

§. XXIV. Inepti autem prorsus sunt illi, qui nullum ex Cetis, præter Balanam Jonam incolumem & sine iterato vita periculo in aridam evomere potuisse somniant, cùm eadem sola littori appropinquet, alii verò pisces grandiores, ut Lamia, semper in abyfso & imis maris fluctibus degant; quas nugas Æliani testimoniô suffulcire ac magis speciosas reddere nituntur, qui lib. IX. de animalibus c. 50. p. 202. fabulosè narrat: *Balanam è mari egrediam ad solem se calefacere*. At omnes in universum Cetos in fundo maris latere, præterquam quod Gesnerus lib. IV. de Cetaceis in genere p. 252. ex Oppiano asserat, corporis etiam moles, quâ prædicti sunt, requirit. Deinde si Balænis in terram expatriari licet, cur quæsò catuli earum in terram dejecti periclitantur & copiosò flumine aspergi debent, quò iterum in mare de-

re devolvantur? imò quō jure Lamias quoque ad littus accedere posse negabitur, cum Balænæ iis aliquando sint majores: Alias non ignoramus acriter inter Sacræ Scripturæ expositores disceptari, num Jonas in siccum, an verò non procul à littore in mare fuerit evomitus, ita ut natando terram quærere fuerit coactus, & cum prius tanquam probabilius & Scripturæ effato magis consentaneum plurimis arrideat, beluam tanto impetu in littus irruisse volunt, ut statim, simulac Jonas è carcere suo exiit, fuerit encata, de quo videre est Salinas Tom. II. Exposit. Lit. in Jonæ c. II. Æliani autem testimonium hâc in parte nimis nobis est suspectum, nam verborum, quibus adversarii se tuentur, penitus oblitus lib. IX. de animal. c. 49. p. 202. scribit: *nullum ex Cetaceo genere ad littora aut minimè profunda loca appropinquare, sed in alto & profundo versari;* & lib. XVI. c. 18. p. 333. errorem suum quasi agnoscens fatetur, *Balænas in Insula Taprobane aquis non egredi, sed in profundo thunnis insidiari.*

§. XXV. Tandem Authoritatem tot Clarissimorum Virorum, quibus pisces Jonæ deglutor semper BALÆNÆ nomine venit, rigorosè urgent: imprimis autem B. Lutherum nostrâ opinione graviter offendi putant, qui in versione N.T. Germanica nomen ~~κίτρες~~ Matth. XII. 40. per Balenam seu Wallfisch expressit. Nos quamvis iisdem telis dimicare & Viros non minus illustres, qui nostræ sententiæ subscribunt, magno numero iis opponere possumus, rationum tamen potius, quam autoritatum patrocinio freti multos quoque ex illorum cetera, quos Balænæ favisse dicunt, imò ipsum fortè Lutheruni nobis addictum fuisse gloriatur. Quod ne nuda nobis arrogatio extorsisse videatur, nomen Balænæ, aut quō Germani utuntur, Wallfisch non semper Balenam propriè sic dictam denotare demonstrabimus. Primus, qui vocabuli Balænæ ambiguitatem notavit, est Aldrovandus, qui lib. XVI. de piscibus marinis p. 475. lectorem quemvis serio vult admonitum, antiquos quidem Balæna nomine unicam duntaxat beluam intellexisse; nunc verò piscatores, imprimis Santonicos & Hispanos ad Physeteres, Orcas, aliosq; prægrandes & Balænæ persimiles belugas significandas eā voce uti. Lib. I. de Cetis c. 2. p. 262. hæc habet: *Vulgus atq; piscatores nomen Balæna pro genere usurpant, nosq; vulgo rem aliquam gravem difficilemq; exaggeraturi Balæna assimilare solemus.* Castrus lib. V. Comm. in c. II. Jonæ p. 296. *Vulgus Balæna nomine prægrandes pisces illi similes vocat, ut Physeteres, Orcas, & ceteros;* quare non mirum, si piscem illum, qui Jonam devoravit, quicunque is fuerit, Balenam nominârit. Gesnerus lib. IV. de Cetaceis in genere pag. 137. *Balæna,* inquit, *Germanis diciuntur Wallfisch;* sed id nomen aliis quoque Cetacei generis piscibus contribuunt. Rursus ibid. p. 137. *Germani Cetos omne Wallfisch appellant.* D. Mayerus loc. cit. p. 355. *Gleich wie wir durch*

das Wort Wallfisch uns eben nicht an ein gewisse Art des Wallfisches binden lassen/ sondern dadurch einen sehr großen und ungeheuren Meerfisch verstehen/ so wird uns der enge Schlund/ so in einer sonderbahren Arth dieser Meer-Fische zu finden nichts hindern können. Quid si ergo Lutherum & alios cum vulgo locutos, cum eruditis autem sensisse dicamus?

F I N I S.

**Q**Uod gula Balænæ sit stricta, tueris Amice:  
Hoc ad fortunam sit via lata, precor.

gr. f. PRÆSES.

**S**UM nondum dirâ confectus morte, sepultus  
Hand urna, hand saxum, non humus ulla tegit:  
Et loquor, & sapio, & vitalibus abdicor auris,  
Meque capit vivus, meque vehit tumulus:

Hoc, JORDAHNE, alacris nobis ænigma resolvis  
Jonæ; sic sapiens Oedipus inde clues.

Hic Jonas pelagi medias projectus in undas, *Faustæ gratulationis ergo scribebat.*  
Opto, tuum semper nomen ad astra ferat.

BARTH. ANDREÆ. S.Th. Stud. Johannish. Pr.

**G**EH hin! Geehrter Freund! Sein Fleiß der kan nicht liegen/  
Er will so hoch er mag/ zu seinem Himmel fliegen/  
Von dem Er kommen ist. Sein Ziel das ist die Kunst  
Gelehrter Leut; Fürwahr dies ist der Künste Kunst.

Sein wehrter Nahm ist zwar der Welt vor allen Flüssen  
Durch Christi Tauff bekant: doch will Apollo wissen  
Am grossen Wasser-Thier/ wie viel sein Sinn versteht/  
Auff daß Er künftig ihn zum Ehren-Ampt erhöh.

Göt fordert meine Schuld hiemit ihn zu begleiten:  
GOTTE woll zu seinem Dienst hinfert ihn selbst bereiten/  
Sein Nahme werd bekant durch stete Bücher-Wach/  
Mit Jona steig Er auff bis an der Sternen Dach.  
*offert GOTTOFRED. SEHREN. S. Theol. Stud.*

**P**ectore quod vigili Musas secteris, Amice,  
Hoc Specimen præsens ritè probare potest.

Opto sincero, quô te complector, amore,  
Ut cedat laudi nominis hocce tui.

Vergat & in Patriæ, quin gaudia magna tuorum,  
Et capias fructus, quos cupis ipse, bonos.

*apponit SAMUEL REIMANNUS. Phil. Stud.*

